

Bibliothèque numérique

medic@

**Cochu, François-Félicité - candidat /
Chomel, Jean-Baptiste - président. -
An causa Vitae, causa Mortis ?**

1732.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2327 n°57***



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Mercurii

vigesimâ-quartâ Decembris M. DCC. XXXII.

M. JOANNE-BAPTISTA CHOMEL, Confiliario

& Medico Regis ordinario, è Regiâ Scientiarum

Academiâ Veterano, Doctore Medico, Præside.

An causa Vitæ, causa Mortis?

I.



OELESTIA prospiciens homo Cœlestibus addicitur. His in terris errabunda sublimioris auræ particula argillosæ cuidam portioni ad tempus fuit alligata, non affixa in æternum. Absit tamen credere Corpus humanum, caducam peregrinantis Animæ navicellam, suis non esse numeris absolutum. Est veluti Mundus in Mundo, magnitudine non dignitate dissimilis. In exteriori paulisper conquiescas habitu. Aptissima quidem omnium membrorum dispositio, egregia capitis collocatio. Quam super femora truncus assidet eleganter! Quam appositè brachia humeris adnata, brachiisque appensæ manus! Quam bellè



colorata Cutis ! Quàm venusta totius imago ! At quid tandiu corticem mireris ? Intima properes curiosius perferutari : solidorum & fluidorum adamussim ordinatam compagem explora. Hic, haud secus atque basis subiecta ædibus, corpori sustinendo stabiliendoque firma stant ossa : ne sedibus excidant, validis inter se nectuntur vinculis ; ne faciliè frangantur, lentam foveant sorbentque medullam ; ne motibus exsiccentur levigatæ Cartilagine, unctuosâ rigantur *Synovia*. Sed ne tanta simul amplectere ; siste gradum. Incassumne sua verberat latera Cor, perpetuum illud mobile, in medio corpore veluti appensum ? ex uberrimo sinu Vitæ fons salit purpureus latex. Quantus rivulorum ex tam faustâ scaturigine emergentium numerus ! Quanta varietas ! Nunc opportunâ deosculatone se sibi invicem affigentes, ad eandem tendunt plagam ; nunc se semet-ipsos fugitantes, varias prosequuntur vias. Hi partes quasdam vix salutantes, alias benigno ditant rore ; illi vagabundum rapientes liquorem paterno eum refundunt gremio. Trahit quemque sua facultas : omnes indefesse agunt. O quàm purpureum hunc laticem inenarrabili insequimur voluptate ! Huic se subducit visceri, amicè illud ingressurus ; in hoc tenuis, in illo spissior, in alio flavescens, sub variis adrepat formis, tenuissimoque evanescit halitu. Attamen effectus tam stupendos proprio Marte non exerit sanguis ; non tanta solus sustinet : alterno gaudet imperio cum fibris motricibus ; hæc variis intricatæ vel extensæ modis membranas efformant, fulciendis contegendisque fluidis accommodatas, fasciculos.ve (musculos vocant) componunt, figurâ, mole, & vi, pro partium situ & earum functione discrepantes. Cavitates quidam dilatant, easdem stringunt nonnulli ; trahunt hi, retinent illi : variis quoque legibus obligantur. Hic pro nutu voluntatis ducuntur ; illic voluntatem diffidentes Dominam famulari recusant, *Mechanismo* tantùm inservientes : quidam inter istos medium tenent ; at omnes à nervis, fidelibus Animæ habenis, motum accipiunt & alacritatem. Afficiuntur nervi, Anima sentit ; his vivificâ spirituosè tumentibus Lymphâ, stat jucundum Corporis cum Animâ commercium.

I I.

EX eodem luto pars omnis est fabrefacta, at diverso modificata artificio. Ex hac stupendâ varietate manat Ossium dura coagmentatio, compacta Carnium structura, flexilis & elasticus Vascularum orbis, strictus Renum textus, vasculosa Testium compages, spongiosum Pulmonis *parenchyma*, mollis & pulposa Cerebri substantia, musculosum Cordis robur, reticulosa Cutis directio. Æque profectò mirabilis symmetrica hujus exigui Corporis distributio, ac totius Orbis amplissimus ordo. Ibi staticæ, hydraulicæque omnes machinæ longè latèque diffunduntur ; at in Corpore humano reconduntur intimiùs ; Trochleas enim, Vectes, Receptacula, Syphones, Anthlias, Liquores, Trabes, Antennas, Molas, atque Funes, & quidquid mechanicis tenetur Legibus, utiliter in eo asservat humana Natura : hæc partes istas non finit indecorâ marcescere desidiâ. Suum cuique exequendum assignat opus. Solida amico cum fluidis associata vinculo fulciunt, continent, & servant, fluida nutriunt, & augent ; accipit hæc pars, illa excipitur ; hæc regit illam, hanc illa vicissim moderatur ; omnes alternatim movent & moventur ; at nullum insurgit dominium ; mutuò munere obligari amant ; momentaneâ vice causæ fiunt & effectus ; nil sine consensu. Liquores solidorum impulsu

adjuti canaliculis vel exilioribus pleno feruntur alveo. Solida à fluidis sustentata opportunam ab iis mutantur flexilitatem, benignoque gaudent elatere. Hinc manat functionum stabilitas, integritas secretionum, excretionumque libertas; hinc vitales motus, nutriendusque calor; hinc corporis æquilibrium; hinc tandem alacritas individui, sanitatisque vigor. At Eheu! Quid hæc Corporis humani concinnitas tantis elata laudibus? Quid organa hæc instructissima? nisi fictile Vas ad interitum præceptum.

III.

CADUCUM est quicquid ortum habet. Omne vivens interitui acquiescit, quem si velis in aliquantulum retrahere, sobrius esto. Ignis cito citius exinguendi scintillas fove, non suscita: at immortalitatem ne stolidus affectes. Non facient ut stet in perpetuum Corpus Mædeides herba; non Latrocinatus sanguis sanguini transfusus; extraneas hic sibi non arrogat opes. Ipsamet Medica Virtus, Mortem in offenso pede currentem sistit tantum, non fugat; hæc autem tela contorquet Giganteos debellatura nisus. Mille Mortis causas circumferimus. Res *Non-naturales* dictæ variè corpus afficiunt. Sæpius cum illo blande agunt, sæpius illud malè torquent: corpus enim pede non pulsant æquo. Modò vitam tuentur, modò gravi eam petunt ictu. Hinc motus adaugentur citius, vel tardiùs imminuuntur; hinc genuinus alteratur calor; hinc impuræ fiunt secretiones. Plus justo, vel debiliùs sanguinem verberant vasa; vel cruor languidiùs vehitur, vel vehementiùs turgescit. Fibræ nimis tensæ, vel relaxatæ nimis, rorem insanè repellunt, aut inutiliter admittunt. Sic noxam inferunt quæ nobis erant proficua. Stupeas ergo in prolixiorum Vitam non in citam Mortem.

IV.

NON à solis exterioribus imminet machinæ periculum. In sinu nostro, ut Vitæ sic Mortis causas fovemus. Ex ipsis Vitæ fontibus corpus haurit sui annihilationem. Vita in motu posita est; motu principia Vitæ dissolvuntur. Partium ex quibus Vita emergit indefinens alteratio, fluidorum quotidiana colluvies, solidorum exsiccatio continua, ineluctabilem nobis accersunt moriendi necessitatem. An à solidis omnis mali fomes? an à fluidis Vitæ corrumpantur penetralia? ne ambigatur: ab utrisque Vita pendet, ab utrisque Mors erit. Solida elaterio gaudentia, succum sensim sine sensu suos subeuntem poros, libenter admittunt, & ita explicari amant; hinc corporis accretio, quæ suis demum circumscribitur terminis. Proh dolor! Eadem tunc ferunt vulnus quæ antea ferebant opem: Cor enim ictibus repetitis salutarem ad partes protrudit succum; at motu perenni, feliciter partibus agglutinatum divellit. Calor sanguini fluiditatem fibrisque flexilitatem impertit; idem verò dissipat liquores, exsiccatur quæ fibras. At, inquires, imminentem ruinam arcet nutritio, partes ab innumeris Machinæ punctis avolantes, novarum appositione, continuo resarciens. Quid inde? Cordis, vasorumque totus ille vigor fibris explicandis hætenus impensus, accretione licet perfectâ, non idcirco imminuitur. Vis ipsa quæ succus truditur in poros, fibras jam satis extensas, nimio plus extendit; superstes quoque calor benignam earum depauperat mollitiem, rigescunt itaque paulatim, paulatimque tonum amittunt solidorum orbis. Fluidorum caterva languidiùs pellitur; hinc stasis stagnatioque corruptionis parens: hinc extre-

mitatēs algent obstructæ : tenuia præpediuntur perspirationis oscula , retrogre-
dienſque ſanguis ramulos collaterales permeat ſolos ob inexsuperabilem in ex-
tremis reſiſtentiam. Res ideo quæ in commercium venerunt pares , etiam ſi
per initia non luculenter ſe viciffim demoliantur, diuturnitate tamen diſpari
proportione evadunt , & ſic infelix editur decretio Mortis prænuntia.

V.

ÆT A S ætati ſuccedit ſed cunctis labitur temporibus. In doloribus homo
paritur. Vagiens in lucem prodit. Acutiſſima inter Mortis ſpicula , va-
cillans creſcit corpus : hos ſi pertranſeat ſcopulos ſecurus , corroboratur ma-
gis , at nihilominus vehementioribus offertur procellis ; effrænata Juventutis
dat colla jugo. Per fugiens iſtud temporis curriculum , Mors ludendo diris eum
cruciat morbis. Hujus præcipiti impetu exagitur nimis , ſæpius occumbit :
cui ſi ſe ſubducatur adhuc , gradum conſcendit virilem ; ibi , lapſas ætates non
longo proſpiciens intuitu , in nova trahitur pericula , futura præſentit , at hæc ,
præ timore , velis obtendit etiam denſioribus. Inane luctamen ! Ecce enim ;
curva venit tacito pede Senectus. Ut hieme folia arbores , ita nunc calvum
verticem albi deſerunt capilli. Interſecant vultum rugæ. Pendula ſit ſub mento
cutis. Stillant nares ; inexplanata vox ore balbutitur edentato ; ſurdeſcunt aures ,
ceterique ſenſus hebetes facti , miſerè diſtrahuntur : faciles tunc oboriuntur
lacrymæ , ineptique excutuntur riſus. Tripes ideoque magis ac magis tremu-
lum animal factus homo , tardo difficilique titubat paſſu , at vacillationem
brevis lapſus inſequitur. Proſtrata exareſcunt membra. Anhelans pectus impe-
dita fugit ſuſpiria. Inſenſilis intercluditur perſpiratio ; incertaque ſecernendi
dorum cohors hæret in limite. Arteriæ oſſeam quaſi naſtæ duritiem , nec li-
quores trudunt , nec liquoribus cedunt ; hi vero eglaciati ſtant immobiles.
Polipoſus evadit ſanguis. Emaciata flacceſcit caro. Aggravata concidunt pal-
pebræ ; excavatique oculi lucem quamvis ægrè ferentes , luce tamen orbantur
ægrè. Interrogatus tunc ſilet pulſus , fugit calor , perit motus , obrepenſque
ſomnus irrevocabilis Corpus occupat anile.

Ergo , cauſa Vitæ , cauſa Mortis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI

<i>M. Antonius Caſamajor.</i>	<i>M. Ludovicus - Petrus le Hoc, Conſiliarius Medi- cus Regis ordinarius in ejus Caſtelletto.</i>	<i>M. Joannes - Franciſcus Couthier.</i>
<i>M. Raymundus de la Ri- viere.</i>	<i>M. Antonius - Nicolaus Guenault.</i>	<i>M. Joannes-Baptiſta Mon- gin , Chirurgiæ Gallicæ Profeſſor & Medicus Re- gis ordinarius.</i>
<i>M. Franciſcus - Joſephus Hunauld, Regiæ Scien- tiarum Academiæ Socius, in Horto Regio Anato- mæ & Chirurgiæ Prof.</i>	<i>M. Joannes - Baptiſta Boyer.</i>	<i>M. Michael-Procope Cou- teaux.</i>

Proponerat Pariſiis FRANCISCUS FELICITAS COCHU
San. Germanus in Laya, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1732.
à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAV, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1732.

Autor.